

jam fuerit non nihil intimiùs in contributionum naturam omnem inquirere.

XXIV.

Quandoquidem vero ut naturalium ita & civilium rerum quarumcunque quatuor sunt causarum genera, facile apparet totidem & circa contributiones reperiri, horumque accuratâ cognitione plenam tributorum notitiam absolvi. Ideoque nos etiam hoc observabimus, facto statim initio de causa efficiente sive de eo ad quem jus contributiones vel collectas imponendi pertineat.

XXV.

Videtur autem hanc quaestionem omni dubio carere. In universo enim terrarum orbe & hodiè & ab omnibus seculis creditum est, jus tributorum indicendorum esse partem *et* *royis* sive summæ potestatis in qualibet Republ. Hinc rectè jus vectigalia ac tributa imperandi perinde Majestatis proprium esse ut legem ipsam, ait Bodinus *d. Rep. l. 1. c. 8.* Ideoque tributa cum imprimis ab eo qui Regalia & sublimem jurisdictionem vulgò *die hohe Lands Obrigkeit hat* ita ab omni Majestate in quacunque Rep. rectè exiguntur.

XXVI.

Ex quo igitur contributiones à jure superioritatis & Regalium dependere ostendimus, quin nisi aliud obftet Imperator easdem indicare possit, extra controversiam est. Imperator quippe fons & origo est: inde velut per rivulos & canales diffluit & promanat quicquid est uspiam jurisdictionis Klock *de contrib. c. 4. n. 2.* eique soli Majestatis jura propriè competunt.

XXVII.

Hodie verò duobus veluti frenis ac retinaculis, Capitulatione scilicet & juramento fidelitatis quod præstandum